



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 199. Quale Officium sit recitandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

cujus facultatis exemplum etiam initio vel fine vult
 adjici, prohibens Breviaria impressa sine prædicta
 facultate, tamen Breviaria, quæ ista non habent in
 se impressa, non videntur ideo esse prohibita, nam
 poena prohibitionis tantum imponitur Breviariis
 sine facultate Ordinarii impressis, ex hoc autem,
 quod omittatur testimonium vel impressio illius
 facultatis, aut etiam Bullæ *Vrbani*, non sequitur
 esse impressa sine facultate, imò si præferant titulum,
 Breviarium &c. *Vrbani VIII. auctoritate reco-*
gnitum, & edita sint in loco Catholico, præsumen-
 dum est adfuisse facultatem, quia imprimens præsu-
 mi non potest id sub gravibus poenis injunctum ne-
 glexisse, aut certè dicendum est Bullam *Vrbani* in
 eo rigore non fuisse receptam, aut jam defuisse eum
 rigorem, postquam Breviaria toties ad normam
 primæ impressionis Romanæ sunt recusa.

Q. 199. *Quale Officium sit recitandum.* R. 1243

§. I. Generatim loquendo recitari debet pro-
 prium, id est, ex Breviario, quo tenetur orare, & de
 die, quâ orat; & eo ritu, qui præscribitur. Ritus
 duplex & semiduplex habet utrasque Vesperas: sim-
 plex incipit à primis Vesperis in Capitulo & claudi-
 tur cum Nona; similiter B. Virginis in Sabbatho;
 simplex & de Sabbatho habent in Matutino psalmos
 feriales, reliqua sunt festiva, uti in semiduplicibus:
 Feria habet totum à Matutino ad Completorium
 inclusivè: Vigilia à Matutino clauditur cum Nona:
 De B. Virgine in Sabbatho fit semper extra Adven-
 tum & Quadragesimam, nisi occurrat Vigilia, 4. tem-
 pora, vel Festum 9. lectionum, aut nisi fiat de Do-
 minica alioquin omittenda.

§. II. Omnis Clericus, sive regularis sive sæcula- 1244
 ris existens etiam pluribus annis alibi tanquam ad-
 vena, potest recitare Officia, quæ recitaret in patria
 sua,

Rr

sua,

sua, v. g. de Reliquiis, Dedicacione, Patronis, *Suar.
Quintanad. Gob.* in Exp. T. 5. n. 635. Si mutet do-
micilium, potest compensare omnia in priore loco,
quamvis præterierint in secundo, *Gob.* n. 649.

1245 §. III. Officia uni Ecclesiæ concessa non possunt
per Episcopum extendi ad aliam Ecclesiam, uti de-
crevit *Vrb. VIII.* apud *Stoz* L. 1. p. 3. n. 390. ; pro-
babile tamen esse putant *Tancredi & Tamb.* in De-
cal. L. 2. c. 5. §. 2. n. 35., posse Episcopum vel Præ-
latum regularem dare licentiam recitandi Officium
privatim in alio ritu.

1246 §. IV. Non licet recitare Officium de sancto, nisi
sit in Breviario *Pii V.*, vel à Papa aut S. Congreg.
concessum, *Stoz* suprâ. Vide tamen dicenda n. 1260.
Omnes verò diocesani licite celebrant omnia Festa,
quæ celebrat eorum Ecclesia Cathedralis, *Gob.* n.
650. in app. §. Lit. M. Et ejusmodi Diocesana pos-
sunt Romano translato recitari etiam à Regularibus
exemptis utentibus Romano Breviario; hi tamen
non obligantur ad Festa diocesana, nisi sint Patro-
norum & universalia, *Castrop. Tamb.* n. 5. *Stoz* n.
386. *Gob.* à n. 627.

1247 §. V. Quando permittitur fieri Officium aliquod
per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur
etiam Urbes Imperiales, quia de iis dicit Cæsar, *No-
stra & Imperii Vrbs*: Item omnes Provinciæ, Di-
tiones & loca, quæ proprie sunt feuda Imperii, est
enim Cæsar illorum omnium Dominus directus,
Gob. lit. R. & seqq.

1248 §. VI. De *S. Ignatio* recitari potest in Societate
JESU sub ritu semiduplici omni septimanâ extra
Adventum & Quadragesimam, die non impeditâ
Festo duplici vel semiduplici: Docuit quidem *Gob.*
in Append. 4. non impedire rationem Vigiliæ, nisi
Natalis Christi, Epiphaniæ & Pentecostes, sed Sacra
Con-

Congreg. 20. Martii 1706. decrevit id non esse concessum in feriis quatuor Temporum, nec in Vigiliis sine cum sine absque jejunio, nec in feria 2. Rogationum, nec in ea feria, in qua secundum Rubricas est reponendum Officium Dominicæ. Addit tamen Gob. eum, qui non advertisset primo die libero, post sequenti, etiam ubi institutum est à Superioribus, ut primo die libero fiat; congruum tamen est, ut si eâ septimanâ sit futurus, expectetur dies etiam à Festo simplici liber, ne hoc amittatur: plerique autem in Sabbato non legunt de S. Ignatio, sed de B. Virgine, quamvis etiam tum de S. Ignatio videantur posse legere, cum non excipiatur, sed cultus B. Virginis præferendus est cultui S. Ignatii.

§. VII. In Bulla beatificationis *Stanislai Kostka* habetur, quòd in singulis Ecclesiis Societatis JESU, Missæ de Beato etiam à Sacerdotibus quibuscunque eo die ad Ecclesias confluentibus celebrari & Officium recitari valeat. Vide Gob. T. 3. post n. 696. in app. Lit. T. & V. Judicarunt etiam viri prudentes posse Sacerdotem sæcularem in templo Societatis legere Missam de B. *Aloysio* incidente in Dominicam, quia valet regula generalis, quòd aliquis possit se accommodare ritui Romano illius loci, in quo est; nec regula distinguit de Sancto aut Beato. Non poterit tamen talis Sacerdos de eo legere Horas.

1249

Q. 200. Quid præterea circa mutationem Officii sit addendum. R. Ante omnia, notandum est decretum S. Congregationis.

1250

Sacra Rituum Congregatio declaravit & decrevit, non potuisse post Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam seculares quàm Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacra

Rr 2

Rituum